



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi

Werner, Ignaz

Lincii, M DC XCII.

§. I. Dolor Primus. Proponis Christum fanguinem sudantem pro peccatis
nostris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

PARS II.

Veritas Divina ut odiū Mundi & peccatorum in Neo- ad se converso Augustini Genio augeat; exhibet illi omnium dolorum, & totius Passionis causam esse hujus mundi illecebras, & peccata.

SENTENTIA.

Ego, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, tuæ passionis livor, tui cruciatus labor; peccavit iniquus, & punitur justus, deliquit reus, & vapulat innocens, quo Nate Dei, quo tua descendit humilitas, quo tua flagravit charitas! Meditation. c. 7.

§. I.

DOLOR PRIMUS.

Proponit Christum sanguinem sudantem pro peccatis nostris.

E 4

Gethe-

G Ethsemani colles! confines collibus hortil
 Arva cruentato nobilitata Deo,
 Quis novus effusas dat nimbus sanguinis undas?
 Frondea quæis undis irrigat arva cruor?
 Ore fluunt rosei patefacto flumine rivi.
 Et manus, & vertex sanguine membra madet
 Impete purpureo despumat sanguinis ostrum
 Horreo, dum floræ figo per arva gradum.
 Illinc, quâ pingues tolluntur in æthera olivæ,
 Exhibet & vernus grata theatra decor.
 Vix oculis credo ipse meis, an fallit imago
 Lumina! num verè sanguine terra madet!
 Currite perque sinus, per & ora, genasq; quere la
 Volvere præcipiti lachryma missa vado.
 Te video, sed quis Tyrio te murice tinxit:
 Lacteq; candidior, candidiorque nive!
 Quis rubor afflavit niveæ cervicis honorem!
 Et tulit è tenero tempore lactis opes!
 Ecce coronatâ flammis formosior æthrâ,
 Pulchrior & nitidis sidere, phæbe rotis:
 Illa Dei soboles, æternaque Patris imago,
 Quàm scelus humanum traxit ab axe Pòli.
 Cui Phœbus radios argentum Delia cessit,
 Atque jubar stellæ; murice labra rubent.
 At nunc cessit ebur, frontis cecidère pyropi,
 Atque aurora suum sustulit ore decus.

Nec

Nec species, nec forma tui est, quis Xeuixis acerbo
 Muricis abscondit candida membra color!
 Labra coloravit quis tantus sanguinis ardor;
 Omnis ut à patulo vulnere vena fluat?
 Qualis ubi Gangis revoluto littore Titan
 Aureus Eôo punicat igne polus;
 Ambiguanque diem præfert prænuntius imber
 Stat rubor, & largas æthere mittit aquas:
 Sic, tua sanguineis dum stillant corpora rivis
 Purpurat è venis omnia membra cruor.
 Purpuree ô quis Christe color? quis Sirius ignis
 Afflavit? flammæ Cypridis orbis habet:
 Idaliasque puer tædas ardoribus auxit;
 Hæc tibi flamma dedit membra rigare tua.
 Sanguineo nimbo, scelerum quo tolleret æstus
 Nostros, & Cyprium sopiat unda rogam.
 Rore fluunt nubes: benè nunc sperate coloni;
 Credite sulcato femina lorga solo.
 Qui riget, imber adest, attrato corpore Memnon
 Gaudeat, & vultûs firmata nigra lavet.
 Quotquot & infames traxistis pectora labe,
 Virgineæ mentis balnea Christus habet.
 Nunc roseû reparate decus, vos pulchrior auro,
 Candidior niveâ fronte columba lavat.
 Irrigat effuso florentia prata colore,
 Ut nostro scelerum corpore forma fluat.

E s

Et

Et sudat, trepidatque tibi, tibi primus Olympum
 Invocat, atque subit fata cruenta tibi.

Christus sudans sanguinem ad peccatorem.

Non mireris homo stillantes corpore rivos,
 Decurrens pretium gutta salutis habet.
 Ut sic mundatus sudato sanguinis imbre
 Sanguine Divino coelicus esset homo.

§. II.

DOLOR SECUNDUS.

Proponit Christum inter vincula pro
 peccatis nostris.

Ferrea conditio non noxia brachia stringis
 Heu mihi, quos gemitus flebilis arbor alit
 Heu paradyfiacæ miserabilis umbra voluptæ!
 Heu mihi! quas clades tristior umbra parat
 Sidera credetis! libertas vendita pomo est!
 Heu mihi! quàm rigido culpa luenda jugo!
 Sæva manû! quæ prima manû contingere ram
 Ausa fuit, vetitâ carpere fronde necem.
 Vix benè nata perit, primo pax occidit ortu,
 Et rapuit pueros Parca cruenta jocos.